


# PALAESTRA LATINA



ANN. XXIV. N. 144

MM. MARTIO et APRILI

AN. D. MCMLIV

## SUMMARIUM

Bonus latro, *Mangeot*  
De Callisthene, *Orth*  
De variis pila ludendi generibus, *Holzer*  
Nova et Vetera, *González*  
Curtius puer mavult gaudere matrem quam  
sese, *Avenarius*

Divo Augustino, *Martín*  
Commercium epistulare, *Avenarius-Mir*  
Cursus Gymnasticus, *Molina*  
Curiosa et Jocosae: *Scholastici Celsonenses*  
Bibliographia, *Molina*, *Tristanius*, *González*,  
*Aspa*

## Bonus latro

Luget exstincta face solis orbis  
Territus densis tenebrisque stratus.  
Contremit tellus maculata taetro  
Crimine tota.

Sustinet stipes sacra membra fixi  
Corporis. Rorat cruor e sinistra  
Rivulis sacris. Fluit e rubenti  
Purpura dextra.

Regiam cingens diadema frontem  
Horridum praebet speciem venustam  
Vultibus. Livent tumefacta diro  
Verbere membra.

Stipitem circum numerosa turba  
Constitit, probris odiosa saevis.  
«Si Deo Magno satus es, levato  
De cruce corpus».

Pendulus dextra scelerosus alter  
Jam caput torquens videt incubantem  
Stipiti Jesum patienter omnes  
Ferre dolores.

Mensibus qualis rosa rubra vernis  
Lene prorepat tribulis acutis  
Et suum pandens calicem salutat  
Spicula solis:

Talis emersus bonus ille latro  
Vepribus nigris sceleris patrati  
Gratiae lumen videt atque pleno  
Ebibit ore.

Sicque mutatus melior, dolores  
Sustinet saevos nimium levatque  
Fortiter vocem rigidaque sede  
Ista fatetur:

«Damnet hunc iudex licet ac Judaeus,  
Est tamen justus neque labes ulla  
Foedat insontem fateorque Regem  
Hunc fore nostrum».

Deinde convertens caput ad sodalem  
Regium clamat lacrima cadente:  
«Rex, ut intraris tua regna victor  
Sis, memor, oro

Tum mei tecum tot acerba passi,  
Cum meus stipes tua membra fixa  
Contigit nostrique cruoris unda  
Mixta cucurrit».

Audiens Jesus sua colla vertit  
—Impotens dextram relevare fixam—  
«Hoc die mecum mea regna cernes»  
Praedicat ore.

Saarlouis, in Canisiano.

P. MANGEOT, S. J.

# PALAESTRA LATINA

---

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.  
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

---

## De Callisthene

Callisthenes Olynthius, rerum Graecarum scriptor, circa annum a. Chr. n. 370 natus propterea Aristotelem philosophum assidue sectatus est, quod filiam sororis Stagiritae matrem habebat. Anno 347 Aristoteles Platone mortuo Assum in Asiam Minorem ad socios Platonicos se contulit, ut alteram Academiam Speusippo Platonis successoris adversariam conderet.

Callisthenes quoque eodem tamquam scriba avunculi profectus videtur esse. Princeps autem oppidorum Assi et Atarnei fuit Hermias, cujus praesidio, consuetudine, amicitia Aristoteles tantopere utebatur, ut istum regulum philosophiam politicam doceret ejusque consanguineam in matrimonium duceret. Callisthenes Assi una cum Aristotele vitam degens sine dubio a philosopho magistro plurima de Hermiae cogitatis, dictis, actis comperiebat, quae ad historiam conscribendam utilissime apta essent; unde fieri potuit, ut Callisthenes vitam occisi Hermiae amplificaret. Aristoteles autem triennio peracto Assum relinquens anno 344 in insulam Lesbum perrexit, ubi disciplinam philosophiae continuaret. Aristoteles ut ex Asia tum decederet, multis et magnis causis coactus esse debuit, quas nos quidem prorsus ignoramus. Callisthenes ipse quoque umbrae instar philosophum iterum ad novam sedem esse comitatus putari potest. Biennio post ab insula Lesbo Philippus, rex Macedonum, anno 342 philosophum in patriam ad Alexandrum instituendum revocavit, atque etiam Callisthenem Pellam una cum Aristotele illo tempore migrasse veri simillimum est, quia haec urbs caput Macedonum erat et ut fons rerum politicarum orbis Graecorum longe Athenas superabat. Alexandro quinque annos Miezae erudito Aristoteles Athenas profectus propriam philosophorum scholam sui generis anno 337 condidit, quae Peripatetica vocabatur. Anno 335 Aristoteles simul cum Callisthene Delphis honoribus coronae ideo exornatus est, quod uterque catalogum victorum Pythioniarum confecerat. Qui si a. 335 Delphis collaborantes commemorantur, dubium non est, quin ambo jam eodem anno 337 Athenas advenissent, unde a. 335 Delphos ad illum victorum indicem componendum profecti sunt. Eodem anno 335 Callisthenes memoriam de Hermia laudabilem Delphis videtur scripsisse;

nam anno 334, cum Alexander Magnus expeditionem contra Persas facere animum induxisset, Callisthenes quoque aliquot mensibus post Alexandrum in Asiam Minorem secutus est, ut res bellicas et scientiae in exercitu Macedonum describeret Aristotelemque de istis rebus certiores faceret. Quo belli tempore Callistheni nulla occasio Hermiae laudandi relinquebatur. Ergo optime concludi potest illum libellum de Hermia Delphis anno 335 ortum esse maxime hac de causa, quod labor catalogi Pythionicarum ad majorem Graeciae gloriam pertinebat et hoc studio Aristotelis et Callisthenis etiam aliorum virorum memoria praedicari poterat, qui culturae et libertatis urbium Graecarum, quae sub ditione Persarum erant, defensores fuerunt. Ex his Delphorum adjunctis Callisthenis laudatio in Hermiam facillime explicari potest. Atqui non solum Callisthenes anno 334 in Asiam Minorem contra Persas profectus est, sed etiam ipse Aristoteles quamquam perbreve tempus in Asia moraturus. Himerius enim sophista rerum gestarum et litterarum peritissimus oratione in urbe Philippis habita Aristotelis iter Asiaticum ad Alexandri exercitum a. 334 commemoravit (*or.* 40, p. 167, *Colonna*) enarrans philosophum iterum oppidum Atarneum vidisse (ubi a. 347 Assi degens et docens primum Aristoteles fuisset); hoc quidem secundo itinere Atarneum attigit Aristoteles, ut explicat Himerius, et carmen in Atarnei populum olimque principem Hermiam versibus elegiacis libello proprio composuit. Aristoteles igitur anno 334 denuo carmine Hermiam celebravit, postquam superioribus annis duo de eodem principe amicoque Atarnita carmina confecerat. Ut Callisthenes anno 335 libellum proprium de Hermia conscripserat, ita Aristoteles quoque anno 334 brevi post Callisthenem de eodem Hermia non tot quidem paginas quot Callisthenes scripsit.

Himerius sophista, cum Aristotelem in Asiam Minorem anno 334 profectum narravit, hoc non finxit, sed e fontibus haurire potuit, qui ad nostram memoriam non pervenerunt. Falsum igitur est Himerium fide indignum accusare, quia tot fontes antiqui perierunt qui nos de Aristotelis vita et operibus certiores fecissent. Ego quidem Himerii dicta de Aristotele veritati non contraria existimo et ad conclusiones deducendas apta iudico.

Maximi vero momenti ad Callisthenem aestimandum est Didymi Alexandrini commentarius in orationem Demosthenis, quem Diels et Schubart a. 1904 Lipsiae apud Teubnerum ediderunt. Nam Didymus ipse solus mentionem libri Callisthenis de Hermia facit, quantum scimus: praeterea Didymus vitam moresque Hermiae describens hac via et ratione utitur: primo commemorat auctores Aristoteli et Hermiae adversarios; deinde scriptores adhibet qui Aristoteli et Hermiae favent; in amborum fautoribus Didymus numerat Callisthenem (apud Didymum p. 10, 64, ed. Teubner.) et Hermippum. Callisthenes autem fuit testis oculatus personae et vitae Hermiae per tres annos, cum Assi vitam ageret et Atarneum oppidum saepissime adiret. Atque etiam ex Aristotele multa iudicia de Hermia accepit, ut opinor. Her-

mippus contra solum e libris vitas Aristotelis et Hermiae confecit. In libro de Hermia Callisthenes etiam duo Aristotelis carmina in Hermiae honorem confecta commemoravit, illum hymnum in virtutem (*aretan*) Hermiae et deinde versus elegiacos. Ut tempora illorum duorum carminum apud Callisthenem commemoratorum definiamus, breviter ita annos circumscribamus oportet: Primum carmen paeanicum de virtute, statim nuntio mortis Hermiae accepto, Aristoteles anno 341 scripsisse videtur ad statuam Hermiae Delphis erigendam. Secundum carmen elegiacum Aristoteles Delphis a. 335 confecit, ut equidem existimo, cum catalogum Pythionicarum simul Callisthene collaborante composuisset (*Inscriptionum Delphicarum Sylloge* in tertia editione 275; testimonia nr. 2, 3, p. 638). Delphis templum rotundum perparvum (= *thalamum*) Aristoteles auctoritate populi Atarnei, ut credo, construi iussit, et auctor fuit ut in Hermiae statua versus elegiaci insculperentur (Ad «thalamum» cf. *Pausanias* IX, 35, 6. *Maximus Tyrius*, I, 1, 3. *Himerius*, or. 40 (ed. Colonna, Roma, 1951).

Utraque vero Aristotelis carmina Callisthenes in libro de Hermia iterum protulit, ut e Didymi commentario elucet. Unde patet Callisthenis librum de Hermia ante Alexandri expeditionem contra Persas, ergo anno 335, publici juris factum esse. Anno contra insequenti 334 Aristoteles in oppido Atarneo commorans tertium carmen de Atarneo populo ejusque principe Hermia scripsit, quod Callisthenes non jam in libello de Hermia proferre poterat, quia hic libellus finitus et editus erat ante annum 334. Cogitari vero potest Callisthenem in opere de «historia Graeca» tertium Aristotelis carmen de Hermia laudasse vel totum communicasse. Duobus igitur Aristotelis carminibus de Hermia duo Delphis monumenta in Hermiae honorem constructa correspondent. Tertium vero carmen Aristotelis solum in libelli formam redactum erat, ut Himerius oratione Philippis habita refert. Ergo Aristoteles tribus carminibus Hermiam annis 341, 335, 334 honoravit. Alter autem auctor de Aristotelis et Hermiae vitis scripsit Hermippus ille Smyrnaeus (circa annum 260-190) centum annis post Callisthenem (apud Didymum p. 12, 51 ed. Teubner.). Sed Callisthenes Hermiam ipsum cognoverat, Hermippus autem solummodo ex libris compluribus historiam Aristotelis et Hermiae compilare potuit.

Ita de Callisthene ejusque libro de Hermia judicandum est.

— Helladii locus in Photii bibliothecae codice 279 pg. 530 a 34 Bekkeri e Callisthenis libro, qui inscribitur «Hermias», videtur sumptus esse. Ejusdem igitur libri Callisthenis fragmenta exstant apud *Demetrium Alexandrinum* «de elocutione» 293; apud *Helladium* in codice 279 bibliothecae Photii (pg. 530 a 34 Bekker); apud *Himerium* in or. 40 (Philippis habita), ubi Hermiae consuetudo cum Aristotele exponitur (excepto eo loco, ubi iter philosophi Stagiritae ad Alexandrum Magnum jam contra Persas profectum commemoratur).

(In proximum fasc.)

EMIL ORTH

# De variis pila ludendi generibus

Lusionum pilarium genera, quae descripturus sum, ex Britannia originem ducunt atque propterea in linguis noviciis significantur Anglicis nominibus, quippe quae cum rebus recepta sint. Dico *Kricket*, *Krocket*, *Golf*, *Hockey*, *Rugby*, *Tennis*. Nec tamen mirum, quod gentes unum alterumve vocabulum paululum modificantes suo accommodaverunt ori, quo possint sua ipsorum lingua id pronuntiare facilius. Quae cum ita sint, neque antiqua nobis praesto sunt nomina. Ideo in his rebus Latine appellandis summa puto, libertas nobis concessa est. Id unum videndum est, ut vocabula, quae procuduntur, leges et rationem linguae Romanae sequantur et rem, quam denotatura sunt, satis perspicue et clare audientium auribus reddant. Qua de causa sapientissime prudentissimeque vir clmus. Padberg-Drenkpol (Soc. LAT. 1929, fasc. III, p. 48) fecit, quod linguae Latinae penuriae substituit abundantiam Graecorum. Sic pro Tennis proposuit *antisphaerisim*, quoniam duae partes «anti» hoc est ex adverso positae de pila contendunt. *Hockey* vel *Stockball* appellatur «rhabdosphaera» ac *Golf* vel *Lochball* denique «bothrosphaera», adjunctis denominativis, quae sunt *bothrosphaerisis*, *bothrosphaerista*, *bothrosphaeristria*, *bothrosphaeristerium*, *bothrosphaericus*, *bothrosphaeralis*, *bothrosphaerismus*.

*Rugby* autem dicatur «harpastum». *Kricket* nuncupo Antibonio auctore, «oppiduli ludum». *Krocket* habeat sibi «sphaerae ad malleum ludum». *Criquetus* autem et *croquetus* mihi displicent. Neque ludum *hoccaenum* neque l. *hocceium* probare possum. Sufficiunt «rhabdosphaera» et ejus denominativa.

Alia genera pila ludendi sunt *Basketball*: «follis in trochum, follis bascaudarius»; *Baseball*: «follis ovatus», qui Americanis potissimum est in deliciis. Ejus apud Germanos variatio est *Schlogball* (*juego alemán de pelota a pala*): «sphaera recussabilis» aut «sphaerae ad palam ludus, ludus tabellarius». Porro in usu est *handball*, pro quo ludo praesto est «follis manualis». Videamus singula. Incipio a *bothrosphaerisi* (*juego de golf*).

*Bothrosphaerisis* est lusio pilaris, quae inde a saeculo XVII in Scotia in deliciis est, inde postmodum in Angliam invecta summo cum ardore in Albionis insula nunc temporis colitur. Apud continentis terrae incolas paucos habet amatores. Nomen autem accepit verisimiliter aut ex parvis illis foveis sinuatis, in quas et ex quibus per ordinem pila CXX grammata pendens et ex «gutta percha» confecta a duobus lusoribus aut duobus manipulis ope clavarum protunditur vel a clavae ictibus, qui cadentis Latinitatis voce «colpus» vel «colfus» appellantur, qui ad «colaphum» referendi sunt. Ludī igitur ratio in eo consistit, ut lusores pilam ab una fovea ad alteram agitent. Foveae autem, fere duodeviginti numero, ita per campum «bothrosphaericum» sunt dispositae, ut circulum efficiant. Distant pro loci natura inter se centum quadringentave metra. *Bothrosphaericus* autem campus in duas dispescitur ve-

luti zonas, quarum altera variis conspicua est impedimentis seu obstaculis, ut alto gramine, viis, dumetis, fossis, lacunis palustribus, altera econtra diligentissime culta paulatim in viridem aream abit, quae area per XVIII metra porrigitur circa cavum, cujus summa labra X centimetra cum LXXIX centesimis (cm. 10, 79) distant. Quod cavum vexillo significatur, ut bothrosphaeristis sit pro regionis indice. Simul atque lusor pilam agitans viridem aream (*green*) ingressus est, vexillum illud removetur loco. Qui vero omnes foveas quam paucissimis potuit ictibus permensus est, is renuntiatur victor. In qua ictuum computatione reputatur pila per clavam quadamtenus tacta pro ictu justo atque legitimo.

Ad ictus faciendos bothrosphaeristis pro loci natura et pilae situ et missu variae diversaeque suppetunt clavae, quae peculiaribus inter se distinguuntur nominibus. Primum in conspectum sese offert *brassie*: «clava lignea». Ea utuntur bothrosphaeristae ad sphaeram procul jaciendam aut mittendam, cum pila in aperto campo sita est in loco opportuno.

2. *Driver*: «clava agitaria». Constat e ligno atque frequentatur, quando bothrosphaera est in plano posita, praeterea in lusus exordio atque cum ictus longinqui dandi sunt.

3. *Mashie*: «clava ferricrepina». Est clava, quae infra ferrea palmula est munita.

Eam tum bothrosphaeristae adhibent, cum satis sublimi sphaerae jactu impedimenta superantes foveae appropinquare in animo habent.

4. *Mashie-Niblick*: «clava impedimentis superandis ferricrepina». Adhibetur pro loci natura ut clava ferricrepina.

5. *Niblick*: «clava impedimentis superandis». Est gravis clava eademque capitata. Bothrosphaeristis autem frequens est, cum bothrosphaera in loco iniquissimo jacet, veluti quando ex arena est eis pila eludenda atque excitanda.

6. *Spoon*: «clava lingulata». Est e ligno atque in linguam desinit. Inde nomen. Adhibetur in aperto bothrosphaeristerio ad ictus longinquos faciendos, si sphaera in loco jacet iniquo, et ad locorum ardua superanda.


7. In usu sunt «clavae ferreae»: *club en fer*, *Eisen*, *club de hierro*. Sunt aptae ad longinquos propinquosque ictus. Numeralibus notis unitatis ad quinquenarium insignitae sunt differuntque angulo inter solum et manubrium interjacente. Cujus anguli quantitate trajectorius meatus aut volatus bothrosphaerae determinatur atque definitur, aliis verbis, ex obliquitate ejus clavae faciei, qua pila succutitur, trajectoria computatur.

Consentaneum est tantum clavarum numerum bothrosphaeristam secum portare inter ludum non posse. Qua de causa ei praesto est claviger, qui post lusorem clavas gestat eique, prout loci natura aut ludi ratio aut lusoris consilium exigunt, clavam ad rem aptam porrigit. Is etiam bothrosphaeristae inter ludendum idonea consilia dare potest, at clavigeri factorum bothrosphaerista ipse in se recipit periculum.

JOSEPHUS HOLZER

# Nova et Vetera

## MARE



1. Conspectum marinum tibi, amice lector, offerre intendit, quam coram habes pictam tabulam. Mare quidem est massa aquae salinae, quae maximam superficiem terrestri partem operit. Atque nostris maxime diebus utilis scientia dicta oceanographia colitur, nempe maris studium sub aspectu geographico, geologico, chimico, biologico.

Mare cominus e terra visum, placido certe animum relaxat adspectu; eminus vero, cum transatlantica navis, civitatis ambulantis instar, vectorem hinc inde agitat traducitque, eum quodam admirationis atque stuporis motu repleret, quo natura et sponte ad Dei Creatoris omnipotentiam attollitur. Imago vero magnitudinis mare. «Nec nos mare separat ingens/, nec via nec montes nec clausis moenia portis;/ exigua prohibemur aqua» (*Met.*, 3, 448). Et facile hic in mentem illa veniunt Ovidii verba (*Met.*, 1, 343-347):

«Jam mare litus habet, plenos capit alveus amnes,  
Flumina subsidunt collesque exire videntur,  
Surgit humus, crescunt loca decrecentibus undis,  
Postque diem longam nudata cacumina silvae  
Ostendunt limumque tenent in fronde relictum».

Quaenam vero oculis se praecipua offerunt in pictura? Sequentia tibi vocabula dicent:

1	Mogote	<i>acuminatus collis</i>	6	Archipiélago	<i>insulae</i> [*archipelagus]
2	Promontorio	<i>promunturium</i>	7	Alta mar	<i>mare altum</i>
3	Cautil	<i>rupina</i>	8	Brazo de mar	<i>interjectum mare</i>
4	Cabo	<i>promunturium</i>	9	Gola	<i>ostium maris</i>
5	Pasaje	<i>fretum</i>	10	Península	<i>paeninsula</i>



11	Isla	<i>insula</i>
12	Estrecho	<i>fretum</i>
13	Cala	<i>sinulus</i>
14	Marisma	<i>aestuarium</i>

15	Playa	<i>litus</i>
16	Golfo	<i>sinus</i>
17	Arrecife	<i>scopulus</i>
18	Ensenada	<i>flexum mare</i>

2. Aquarum diversa sunt nomina. Aqua scaturit a latice; salit e fonte; manat per rimas; fluit in plano. Hujus modi pars minima gutta; maxima vero mare dicitur; sed tota illius vastitas, universam plane circumiens terram, oceanus appellatur. Fons est aqua e sinu terrae scaturiens. Fontes autem salis dicuntur salinae; acidi acidulae; calidi thermae Illae asserviunt decoquendo sali; istae potioni medicabili; hae tandem lavationi morbidorum.

Rivi emanant e scatebris, decurrentes per longitudinem depressam confluent in fluvios, tum in flumina: pleraque ex monte ortum habent, et intra suas ripas et alveos perenniter decurrunt. Horum origo caput dicitur; ostia vero vel fauces, ubi undas in mare emittunt. Errant et deflectunt per deverticula; aliquando conduntur in cuniculis iterumque emergunt, vel ex alto praecipitantur.

Amnis vero est fluvius huc illuc circumfluus. Torrens est fluvius collectus et corrivatus ex aquis pluvialibus, aut relegatis et resolutis nivibus, rapide defluentibus: ideoque non perpetuus, sed aestate siccatur. Eluvies est fluvius exundans e suis alveis atque agros devastans. Confluentes autem sunt fluminum commissio. Fluentum nuncupabis, ubi aqua fluit; vorticem et gurgitem, ubi gyrat; voraginem ubi se ipsam absorbet, ut Charybdis in mari Siculo. Nota denique sequentes de re elocutiones:

*Summa aqua*, la superficie del agua

*Ex aqua exstare*, sobrenadar

*Aqua est umbilico tenus*, le llega el agua a la cintura

*Aqua pectus aequat, superat*, el agua le llega al pecho, más allá del pecho

*Umeri liberi ab aqua sunt*, las espaldas sobrenadan

*Ex aqua emergere*, salir del agua

*Aquam ex flumine derivare*, desviar el agua de un río

*Aquam ducere per hortum*, conducir el agua por un huerto

*Aquae ductus*, acueducto

*Agros irrigare*, regar los campos

*Aqua viva, profluens*, agua corriente

*Stagnum*, agua detenida

*Aqua jugis, perennis*, agua corriente

*Frigida, calida lavari*: bañarse con agua fría, caliente

*Fluctuare vel fluctuari*, ser llevado por las aguas

*Fluctibus jactari*, ser juguete de las olas

*Gurgitibus hauriri*, ser anegado por un torbellino

*Flumen citatum fertur*, el río se precipita con rapidez

*Flumen imbribus auctum*, río engrandecido por la lluvia

*Flumen super ripas effunditur*, el río se desborda

*Flumen vado transire*, pasar el río a pie

*Decensus aestus*, el reflujo

*Aestus maritimi accedentes et recedentes*, el movimiento alternativo del flujo y reflujo

*Aestus ex alto se incitat*, la marea sube

*Aestu rursus minuente*, al descender la marea

*Eluvio*, inundación

3. Mare, cujus profundum proprie pelagus dicitur, salsum est instar muriae, ob exhalationum adustarum multitudinem: unde et salum dicitur. Cujus undae bis in die intumescunt, naturali aestuatione: affluxu et refluxu, accessu et recessu. Atque affluunt se reciproce cum sonitu horribili, maxime inter freta ubi mare unum in alterum se exonerat.

Idem vero mare, ubi inaequaliter tellurem terminat, efficit sinum aut promunturium, seu montem in mare prominentem. Sinus est pars maris curvo litore intercepta. Ubi circumluit undique terram, insulam; ubi majore parte, paeninsulam facit. Quam isthmus, arcta terra inter duo maria, jungit continenti. Portus est parvus sinus, tantum aquae, brachii quasi complectens et recipiens, quantum satis est pro statione navium. Litus denique pars terrae, quae undis maris tangitur.

Atque ut varia est aquae fluxio, ita diversa emissio receptioque. E puteo, angusto et profunde effoso alveo, sursum trahitur tollenone aut ductaria per rethammum catena; putei operculum est puteal, os vero labrum. Salit aqua ex siphonibus in craterem; funditur per canales; labitur per alveum; colligitur in cisternis; emittitur sistiturque per obturamenta, emissaria, cataraetas; erivatur et derivatur per elices, sulcos, colliquias.

Hauritur urnis et situlis; deducitur per aquae ductus; restagnat eluviis et diluviis; piscinis et fossis clauditur; aequalibus et hydriis portatur, tympanis, antliis, machinis haustoriis attrahitur et redditur; continetur autem crepidine aut ripa. Quam quidem nomenclaturam rerum marinarum sequentibus vocibus complebis.

*Accessus et recessus*, flujo y reflujo  
*Aestus plenus*, plena mar  
*Aestus recessus*, baja mar  
*Aestus accedit, recedit*, el mar sube, baja  
*Pyroscapha*, vapor  
*Navis promota ventis*, barco de velas  
*Navis remis acta*, barco de remos  
*Navis piscatoria*, barco pesquero  
*Navis oneraria*, barco de mercancía  
*Navis transatlantica*, transatlántico  
*Remex, igis*, remero  
*Armamenta, orum*, jarcias  
*Saburra*, lastre  
*Caverna*, bodega (del navío)  
*Fori, orum*, combés  
*Pyxis nautica*, brújula

*Naulum*, flete  
*Remulcus*, remolcador  
*Naupegus*, constructor de navíos  
*Navale, is*, dársena  
*Navarchus*, capitán de navío  
*Navarchis, idis*, buque almirante  
*Vector*, pasajero  
*Diaeta*, cabina  
*Classis*, flota de guerra  
*Navis longa*, buque de guerra  
*Navis loricata*, acorazado  
*Periscopium*, periscopio  
*Torpedinaria navis*, torpedero  
*Dolium*, tonelada  
*Nausea*, mal de mar o mareo

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

NUPER PRODIERUNT ac proxime in PALAESTRA L. recensebuntur libri qui inscribuntur:  
 G. SCHWEIDER, *Latine loquor*, Romae, ex Officina Libraria Herderiana, Piazza Montecitorio 117.

Ae. SPRINGHETTI S. J., *Institutiones Stili Latini*, Romae, Pontificia Universitas Gregoriana.  
 G. TAGLIAVINI, *Le Origini delle lingue neolatine*, 2. ed., Bologna, Casa Editrice Prof Ric. Patron.

I. ERRANDONEA, S. J., *Diccionario del mundo clásico*, T. I - II, 1800 pp., Ed. Labor, Barcelona.

## Curtius puer mavult gaudere matrem quam sese

Edita in PALAESTRAE LATINAE fasciculo 140 narratiuncula quae est: «Per Michaëlis Archangeli manum» Avenarius sperare coepit etiam hanc: «Curtium puerum maluisse gaudere matrem quam sese» commendari posse censoribus, quam nuper in eodem unde illa petita erat. Folio dioecesano Ratisbonensi, conspicatus, statim idoneam iudicavit, quae legenda proponeretur pueris, qui hodie vix contenti sint decemplici copia illarum, quibus nos pueri felices eramus, strenarum. Est autem sic:

Curtius Saxilber puer fuit annorum duodecim. Pater perierat bello. Mater complures jam annos faciendo operè in officina lanaria victum parabat et sibi et filiis, Curtio scilicet et Magdalенаe, sorori ejus, annos natae sex, neque raro confecta fere lassitudine domum revertit rei familiaris obiens curam, tum quidem adventante natali Christi die etiam instantius, ad multam noctem acubus texens et nens subuculas, vestitus, strigas (\*est vox Xylandri (1), cl. socii, qua is hodiernum *pullover* reddit), tibialia, quae omnia illa mente jam cernebat jacentia sub arbore natalicia praemeditans quanta cum laetitia conspecturi filii essent, cui illo die nihil posset contingere jucundius, quam festivus filiorum animus.

Nunc hebdomadis ipsi Christi natali proximis post vitra tabernarum contemplari est multitudinem rerum pulcherrimarum, et pueri e schola domos euntes multum consistebant ad vitrata loculamenta (2) referta lusoriis. Illic stabant cum Curtio condiscipuli duo, quorum unus dixit se habere viam ferream multo majorem illa, quae stabat post vitrum, stationales aedes (3) duas se habere, mutatoria rotalium (4), lumina (5), receptacula (6). Alter gloriatur hanc vaporariam (7) nihil esse ad eam, quae sibi domi esset, et sibi opus esse hoc anno multis novis carris (8) sua machina trahendis. Quibus cum Curtius in reditu dixisset sibi earum rerum omnium nihil esse, habere coeperunt ludificationi; et affirmanti matri deesse, qua eas res emat, pecuniam, quidam paulo ferocior: Semper, inquit, haec dicunt matres, ne credideris, Curti, id matres dicunt, ne quid emere debeant.

Postea Curtius saepius narrare matri, quibus se sodales sui oblectarent ludicris: habere hos birotas, habituros illos scindulas lapsiles et his etiam majora; se nihil habere, ne illam quidem, quam haberent omnes, ferriviam. Atque adeo quodam die vespere voce et asseveratione nunquam ante in puero cognita matri: In loculis Fruticii mercatoris, inquit, prostat ferrivia, eam cupio meam.

Mater sermone filioli attonita non habebat quid responderet: Ecquam rem in mentem venire potuisse puero? cum vix ad res maxime necessarias suppeterent mercedes Curtium postulare ferriviam! Et se eo ipso anno cogitasse novam pupam Lenulae. Jam haec desideranti puero neque illa utilia sub

1. Qui est Holzer. — 2. escaparates. — 3. estación. — 4. aguja del tren. — 5. disco. — 6. depósitos. — 7. máquina. — 8. vagones.

arbore posita placitura esse neque sibi, quamdiu suus puer non saperet, justa gaudia fore Christi nataliciis.

Curtius, dum, quod ejus operum erat, calceamenta polit domus, apprehendit soleas calceorum matris fatiscere et nuntiat matri ad calceatorem portari oportere ejus rimosos calceos, qui novas suppingat soleas. Respondet illa non sibi esse necessariam ad eam rem refectioemque pecuniam, et tenuibus suis et detritis soleis exire pergit in nivem et pluviam. Cur neque pluviale tegumentum (9) neque gausapum (10) secum sumeret? Sibi non esse scilicet neque plicatile tegmen (9) neque gausapum, et se facile his carere. Nunc se potius de illius cogitare calceis, nam scire eum suos jamjam angustiores factos.

Illo die Curtii in schola sedentis varie occupabatur mens et cogitatio: Quo tandem pretio reficerentur calcei? Quanti veniret muliebre pallium? Quanti etiam sui constarent calcei? Quas denique referret e fabrica mater mercedes? Et saepe viderat matrem e cucullis mercedum eximentem pecunias, sed nunquam in mentem venerat inquirere, quanta pecunia illis cucullis includeretur. Sed inclusi erant in cistula posita super arca.

Itaque dimissa schola in comitatus domum properat, consistit tantum ad calceariam pretia legens caligarum convenientium pueris, et transita via restat ante magnam fenestram prospectum dantem in varietatem palliorum muliebrium. Et cum domum venisset, nondum etiam deposita scholari pera cistulam pervestigat et pecuniaria illa involucra legens eandem fere in omnibus summam mercedis, modo pauxillo auctam modo etiam imminutam pauxillo. Tum vero assidens cogitare coepit: ergo totius fere hebdomadae mercede comparare matrem par caligarum, complurium hebdomadarum mercedibus novum pallium habituram semper attente et huc illuc cursibus et assiduo usu manuum et oculorum administrata magna lanaria machina.

Nunquam ante majore cum desiderio reditum matris expectaverat. Tandem conspicatur adventantem et grandem portantem sub ala thecam, agnoscens certo unde esset elata, nam tegebatur versicolori illa emporctica charta, qua apud Fruticium circumtegebantur omnia. Hoc vero ad aspectu principio sibi intercipi putavit spiritum. Sed animi aestus dissimulans mature it cubitum. Postridie surgens sibi visus est totam noctem confecisse rationes pecuniarum, vidisse vitratas ostentationes mercium (11), titulos pretiorum, mercedum cucullos, tristiculam faciem matris. Post meridiem e schola reversus aperit arcam in androne domus stantem, in qua caute linteamine tecta latebat capsula illa chartacea, et justo erat pondere. Hanc sic portat ad tabernam Fruticii mercatoris Curtius. Ingressus prae lacrimis nihil proferre potuit vocum; ab era invitatus, ut se sequeretur in tractatorium (12) contiguum et comiter jussus dicere, ecquid adeo angeret animum — dic mihi, pupe, inquit, quid est, quod sic te exanimat? — omnem rem eloquitur, prout inquietae

9. paraguas. — 10. capa. — 11. escaparate, muestras. — 12. despacho.

noctis silentio erat commentatus: stulte se egisse, et matrem indigere pallio et calceis, Lenulam exoptare pupam; reciperent ferriviam, pro ferrivia darent bellam pupam. Illi, ut erant prudentes et benevoli, pro ferrivia pupam collocant in theca et, quod haec multo minoris erat quam illa, Curtio dederunt litteras: primo quoque tempore matri quod superesset soluto pretio ferriviae, redditis litteris iri redhibitum.

Domi Curtius capsam evacuat, in fundo, ne quam pondus suspicionem moveat, lapides et ligna ponit, omnia in pristinam formam involvit. Nam certissime sciebat matrem non ignorantem, quanta cum voluptate suis Curtius res explicaret, thecam intactam sub natalicia arbore collocaturam.

Sic venerat perviligium Christi natalis. Succedebant omnia ex sententia. Curtius prensam manu sororculam introducit in conclave. En tibi grandem capsam sub arbore, et juxta textilia, et propter dona Lenulae vetusta pupula novo induta vestitu. Curtius haec uno eodemque levi prospectu complexus, oculis quaerit faciem matris, in qua sibi videre videtur nubeculam tristitiae. Huic tradit litteras: aperiret lentissime, quoad ipse aperiret thecam. Dum filiulus enodat funiculos, mater legit haecce: Mea mamma, me praebui imprudentissimum et te contristavi, sed acerbe doleo. Nam quid mihi opus ferrivia? Tibi contra opus est calceis et pallio, Lenula indiget bellula pupa; nam tu es suavissima mamma, et Lenula mea est puellula. Ego autem puer sum... Tantum illa legerat, cum quis movit tintinnabulum januae. Is tradit sarcinam. «Oh, exclamat Mater, est error certe». — «Nullo pacto hic error est, inquit ille; nam cui alteri Curtio Saxilbero destinetur, nisi hic habitanti, et mittit era Fruticia cum plurima salute».

Illa sarcina fuit ferrivia obvoluta, minore quidem mensura illa priore, sed quae satis ampla esset puero unaque erat schedula in qua haec erant verba: «Carissimo puero suam voluptatem posthabenti gaudio matris suae».

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

## DIVO AUGUSTINO

*Sexto decimo ab ejus nativitate saeculo*

Salve, iterum salve, Doctorum maxime mundil	Christicolae te hodie magno venerantur honore
Doctrina siquidem sol velut axe micat.	Quippe doces rutili scandere regna poli.
En homines cuncti summa te laude celebrant	Ecce tuis pedibus, jam pronus subjacet orbis:
Atque tuum toto nomen in orbe sonat.	Sub tumulo sacro sternimur ecce tui.
Ad tua scripta sophos certatim convolat omnis,	Eja tuam vitam modo cunctorum inice ventis:
Ut sophiam gaudens imbibat ipse tuam.	Flamine ferventi pectora nostra crema.
Nunc igitur docti ex imo te corde salutant	Dum tellus hodie magnum tibi personat hym-
Et calamum ponit sub pede quisque tuo.	[num
Salve, iterum salve, Sanctorum maxime mundi!	Nos equidem parvi, carmine parva damus.
Dum vixit cujus pondus AMORIS erat.	FR. EUSTASIUS J. MARTIN, O. R. S. A.

# Commercium epistulare

*Andreas Avenarius S. V. D. venerando P. Joseph Mir C. M. F.*

S. V. B. E. V. Unam scripseram lineam elucubratiunculae dudum mente conceptae, cum tuum epistolium paucis verbis multa interloqui coepit. Profecto non putaveram discedens ab Urbe, ubi tamen non in plumea culcita cubans fefelleram tempus, in Germania minus me nacturum esse otii, quo morem gererem animo et Latinitati. Hem, me, qui fortibus exemplis provocaturus fuerim studia aliorum, qui cotidie nauseans videam, qua mersa palude nobilissima haec atque necessaria studia premantur, non posse saltem tantum scribere, quantum scribebam Romae!

Et quod etiam pejus est, urgente jam senectute, quod non exerceo satis, minuitur memoria rerum Latinarum, ut minus haereant nova, comparata quondam dilabantur facilius.

Sed fortasse, quod his duobus annis factum non est, postea fiet, ut dempta curarum parte saepius mihi et diutius liceat spatium in vasto campo Latinitatis. Major pars temporis, quod non sibi vindicabat sacrum ministerium, a me collocandum erat in dandis litteris, praesertim cum instaret mors optimae sororis, paternae domus proprietariae, inde ab mense Junio et reliqua parte anni. Obiit illa a. d. VII Idus Octobres. Legi nuper in Xylandri litteris te quoque luctu affectum esse e funere patris tui, quam rem mallet per tuas litteras, quam per litteras amici accepissem Lebacensis. Si nondum pascatur in caeli virentibus arvis anima carissimi patris tui, quam primum constituatur in regione viventium.

Nunc ad te misi duas res quibus desiderium lenirem lugentis PALAESTRAE. Quod me jussisti curare sedulo valetudinem, idem te majorem in modum velim admonitum. E S. Augustini, Idibus Januariis anno 1954.

*Jos. M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F., P. Andreae Avenario, S. V. D., fraterno amore sal.*

Est cur Holzerio Lebacensi, collegae suavissimo, —quem tu Xylandrum facis— maximam habeam gratiam quod te de funere desiderati patris certiorum fecerit, tibi que quod benigne pro ejusdem aeterna requie Deo preces adhibueris meque tua opera et consolatione levaveris.

Quae solacia precesque in te quoque et in sororis tuae animum Dominus instillet, quibus et illa pacem consequatur perpetuam teque valetudine solidisque viribus confirmet. —Te jam praesente, gaudet PALAESTRA, cujus lenisti desiderium.

At de scriptiuncula tua pauca te interpellabo ne legentes falso verba tua interpretentur.

(Non nulla consequuntur quaesita de vocibus a P. Avenario in superiore scriptione de *Curtio puero* adhibitis, cujus responsa una cum aliis dubitationibus de verbis in *pilarum ludis* a cl. v. Holzer supra adhibitis, insequenti fasciculo edentur).

# Cursus gymnasticus

Si quid (1) est in me ingenii (2), iudices (3), quod sentio quam sit exiguum (4), aut (5) si qua exercitatio dicendi (6), in qua me non infitior mediocriter esse versatum (7), aut si huiusce rei (8) ratio aliqua (9), ab optimarum artium (10) studiis ac disciplina profecta (11), a qua (12) ego nullum confiteor (13) aetatis mae tempus abhorruisse (14), earum rerum omnium (15) vel in primis (16) hic A. Licinius (17) fructum a me repetere (18) prope suo jure debet (19). (Cic. Arch. 1, 1)

Si hay en mí, oh jueces, algún talento, cuya cortedad conozco, o alguna práctica de la elocuencia, en la cual no puedo negar que estoy medianamente adiestrado, o algún conocimiento teórico de la oratoria proveniente del estudio metódico de las artes liberales, del cual confieso no haberme apartado un momento en mi vida, este A. Licinio debe, quizá el que más, exigir de mí el fruto de todas esas cosas casi por derecho propio.

## NOTAE

1) **Si quid...** Formula a Tullio in incipiendis orationibus multoties adhibita.

2) **ingenii:** *Ingenium* «sumitur pro sollertia et vi animi ac facultate insita excogitandi, percipiendi, addiscendi» (FORCELLINI): *talento, disposición natural*. Ita Cicero: «Vir acerrimo ingenio», *hombre de talento penetrante* (Orat. 5, 18). Nota *quid* partitivum quandam plus minus simulatam oratoris modestiam continere: ... *si hay algo de talento*. *Ingenium*, exercitatio dicendi, rei ratio: en tria quae apud antiquos rhetores verum efficiebant oratorem: «Facultas orandi consummatur natura, arte, exercitatione» (QUINT. 3, 5, 1).

3) **iudices:** Vocativus pone nonnulla verba generatim inventur. Cfr. Arch. 18: «iudices».

4) **quod sentio quam sit exiguum:** *Quod* nominativo casu effertur; constructio regularis haec esset: «quod quam sit exiguum sentio». Hic *sentire* non aliud est quam «percipere, videre, scire». Inferius enim Cicero: «Illa quidem certe, quae summa sunt, ex quo fonte hauriam sentio» (Arch. 6, 13). Romani concrete loquendi modi studiosi, quod nos abstracte, periphrasi interrogativa saepe exprimunt. (Cfr. BERGER, *Stylistique latine* § 72). Iterum his modestiae verbis utitur orator.

5) **aut... aut...** Hic non res plane diversas, ut alibi, disjungit; corrumpit potius sensum

atque restringit: *o al menos...* «Quare vi aut clam (o al menos a escondidas) agendum est» (Cic. Att. 10, 12).

6) **si qua exercitatio dicendi:** *Exercitatio* actus est sese exercendi in re aliqua, maxime in re oratoria: «*Exercitatio* ususque dicendi» (Cic. Off. 1, 1). *Dicendi*, alius concrete loquendi modus a Romanis saepe usitatus.

7) **mediocriter esse versatum:** *Mediocriter* generatim est neque nimis neque parum; *versatus*, plerumque apud Ciceronem vi adjectivi pollet: «Homo et in aliis causis exercitatus et in hac multum et saepe *versatus*» (Cic. Quint. 1, 3). Denuo Tullius modestus videri affectat; cum enim civitatem Romanam Archiae defendebat, XLVI annum agebat non parvam eximit oratoris laudem jam diu assecutus. Haud ergo mediocriter versatus.

8) **huiusce rei:** *Res* latiore sensum continet; ideo interpreti ex contextu mens scriptoris Latini repetenda est; e verbis patet *huiusce rei* idem esse atque *artis dicendi*: «Quarendum esse visum est quid esset cur plures in omnibus rebus (= in omnibus artibus), quam in dicendo admirabiles existissent» (Cic. De or. 1, 2, 6) Cfr. BERGER, *Stylist. lat.* § 105 bis. Enclitica *-ce* sensum demonstrativum notat magis atque corroborat: *de esta arte oratoria precisamente*.

9) **ratio aliqua:** Item ac scientia vel

cognitio sonat: «*Mathematicorum ratio*» (Cic. *Fin* 5, 4, 9), *ciencia, teoría, conocimientos matemáticos*.

10) **optimarum artium**: Grammatica, rhetorica, poësis, philosophia: «quibus liberales doctrinae atque ingenuae continentur» (Cic. *De or.* 32, 127). A Cicerone quoque appellantur: «ingenuae (*Fam.* 4, 3, 4), elegantes et ingenuae (*Fin.* 3, 2, 4), liberales (*Invent.* 1, 25, 35), gravissimae (*De or.* 1, 4) maximae» (*Orat.* 1, 2, 6)

11) **studiis ac disciplina profecta**: *Studium* hoc loco sensu objectivo intellegitur, res seu materies quibus navamus operam; ergo plurali haec vox effertur, cum sint plures itidem artes liberales (Cfr. BERGER, *Stylist. lat.* § 11, 2.º b.). Contra, singulari *disciplina* invenitur, quia subjective habitus nempe seu consuetudo, una fere eademque plura studia moderatur. *Disciplina* e vocabulario militari ad litteras translata videtur: «Tenaces disciplinae suae» (CURT. 6, 2, 3). E duobus his verbis fit hendiadis; nam saepe quod nos adjectivo et substantivo Latini duobus substantivis id exprimunt. Similiter Cicero: «Cognitio atque ars» (*De or.* 1, 51, 219), *conocimientos teóricos*; «cognitio ac ratio litterarum» (*De or.* 3, 13, 48), *estudio sistemático de la literatura*. (Cfr. BERGER, *Stylist. lat.* § 16, b) et, 122). *Profecta*: translate dicitur de his omnibus quae alicunde principium aut originem habent: «Quae a falsis principis profecta, vera esse non possunt» (Cic. *Fin.* 1, 21, 72).

12) **a qua**: Ad totam eamque superiorem propositionem refertur.

13) **confiteor**: *Confiteri* semper dicitur de rebus, quarum pudore aliquo modo suffundimur, manifestandis (Cfr. FORCELLINI, s. v.).

14) **nullum... aetatis meae tempus abhorruisse**: Quod brevius et minus eleganter sonat: «me nullo tempore abhorruisse»; copia enim dicendi Cicerontana rem sic pon-

derat atque exornat. *Aetas* potissimum tempus est vel annorum numerus quos, adhuc quis vivens, transegit: «Quibus nihil est in ipsis opis ad bene beateque vivendum, iis omnis aetas (=todo cuanto han vivido) gravis est» (Cic. *Senect.* 2, 4).

15) **earum rerum omnium**: Tria protasis membra haec locutio comprehendit; generaliore igitur modo vertenda videtur, cum plura specieque varia (*ingenium, exercitatio, ratio*) copulentur.

16) **vel in primis**: *Vel* non semper vim superlativi corroborat, sed interdum potius inminuit: «Hujus domus est *vel* optima (*la más hermosa tal vez*) Messanae» (Cic. *Verr.* 4, 3).

17) **hic A. Licinius**: *Hic* rem sive in spatio sive in tempore sive in mente loquenti proximam designat; itaque: *hic*, qui adstat cujusque causam ago». *Aulus* (=praenomen, i. e. proprium Archiae nomen) *Licinius* (=nomen quod a gente Licinia, ex qua Luculli erant, ipse exterus acceperat). Cicero igitur callidius non graece sed romane clientem nominat quasi Romana civitate donatum atque jure fruentem, quo animos judicum procliviores devinciat.

18) **fructum a me repetere**: *Fructus* translate quodcumque commodum est atque utilitas: «Studiorum *fructus*» (QUINT. prooem. 8, 26). *Repetere* in vocabulario judiciali idem est ac restituenda exigere Archias enim, qui in animum Ciceronis semen mandavit eloquentiae, hujusmodi fructus potest a Cicerone repetere.


19) **prope suo jure debet**: Non *summo vel optimo jure*, neque *jure suo sed prope suo jure*: juridicam locutionem mitigat atque restringit hoc sensu: *con derecho propio, por así decir*.

M. MOLINA, C. M. F.



# Curiosa et Jocosia

## PECTEN



- 1) Telluris comes placida
- 2) Poma quae sunt dulcissima
- 3) Ablativi praepositio
- 4) Quo modo pelagus trajicto?
- 5) Quis saepe solet visitari?
- 6) Quid vento volvitur in mari?
- 7) Cui rei serviunt avari?

*Si lacunas superioris lineae expleveris,  
proverbum notissimum reperies scriptum*

*Filius:* Pater, eme mihi tympanum

*Pater:* Non emam, nam si tympanum emero, me quiescere non sines.

*Filius:* Noli timere, pater, nam tympanum nunquam pulsabo, nisi tum cum dormies.

—

*Judex* in iudicio ad reum: Iudices te criminis absolverunt, nam non credunt te esse furem suis. Liber es. Licet te abire.

*Reus:* Ergo sus, quem ex area Antonii furto abegi, vere meus est?

—

### ADVERBIUM

*Magister:* Cum dico «Discipuli libenter in ludum (scholam) eunt», quod verbum est *libenter*?

*Discipulus neglegens:* Sordidum mendacium.

—

Mercator pecuarius litteras mittit ad collegam in quibus ille haec legit: «Cras omnes sues, in aedibus stationibus sint! Te quoque ibi specto. Si vis boves, memineris mei!

—

Franciscus parvulus, quamquam omnes novit litteras, tamen non libenter legit. Aliquando mater: «Hodie, inquit,

ego discipula ero, tu autem magister, et litteras me docebis».

*Filius:* Et omnia licet mihi, quae verus facit magister, facere?

*Mater:* Profecto patet, si tu es magister.

*Filius:* Tum quia optime te gessisti, vacationem tibi do. Quo dicto, e conclave exiit.

—

*Medicus:* Quo morbo laboras?

*Aeger:* Oculis non satis prospicio.

*Medicus:* Incredible est. Oculi tui sani sunt

*Aeger:* Videsne illum clavum parvum ad fenestram?

*Medicus:* Video.

*Aeger:* (*exsultans*) Sed ego non video! Ergo verum dixi.

—

Homo benevolus puerum in via flentem aspicit et interrogat: «Cur fles, puer?».

*Puer:* Pesetam amisi.

*Homo:* Noli flere, fili mi, sume aliam pesetam!

Puer tamen non desinit flere

*Homo:* Quare fles etiam nunc, jam habes pesetam?

*Puer:* Pesetam habeo, sed nisi primam amissem, duas nunc haberem!

Collegerunt SCHOLASTICI CELSONENSES (EX «JUVENTUTE»)

# Bibliographia

J. ECHAVE-SUSTAETA. — *Minerva IV, Primer libro del Verso Latino*. Barcelona, Edit. Cefiso, 1952. 128 pág.

Opus sane magistris arduum prosodiam et metricam Latinam alumnis tradere. Tantaе hujus rei non ignarus J. Echave-Sustaeta cimus. Professor, hoc volumine quarto collectionis librorum ad usum adolescentium, facilem expeditamque viam patefecit. Ratio namque et exercitatio — more Scholae Anglicae, ut ipsius auctoris verbis utar — amoene atque utiliter conjunguntur.

Qua de causa Dnus. J. Echave prosodicis metricisque regulis scite intexit exercitia reficiendi pedes, versuum fragmenta integrosque versus optimorum apud Romanos vatum. Quas hac in re exercitationes magni momenti ducimus, cum veluti per jocum ac ludum alumnis quamplurimae passim regulae prosodicae, metricae, morphologicae, syntacticae sint repetendae, cumque jam inde ex quo primos Parnasi Latini gradus conscendunt, Vergilii, Horatii, Tibulli, Propertii, Martialis tuto ingrediantur vestigia, quorum ope dein propriis pedibus propriam viam tentare ausint. Vocabularium Hispanicum-Latinum atque exercitorum clavis seorsum edita coronant opus.

Est igitur cur Dno. Echave-Sustaeta magnopere gratulemur quod tam pulchello volumine nos donaverit; faxitque Deus ut in Hispania, ubi olim Montanus, Nebrissensis ceterique non ignobiles vates usque adeo floruerunt, novi juvenesque excitentur poëtae.

M. MOLINA, C. M. F.

P. CROUZET. — *Nouvelle grammaire latine simple et complète*.

CROUZET-BERTHET. — *Nouvelle méthode latine (pour 6 et 5)*, É. Privat, Toulouse.

Novam grammaticam, novam viam et rationem novaque exercitia Latina hi libelli conclamant; nostra aetate cum omnia novantur et ratio linguam Latinam tradendi erit novanda. Apud omnes viros doctos libri cimi, viri Pauli Crouzet ejusque collegae G. Berthet cognitissimi sunt et scholasticorum assiduis versantur manibus.

Nova ratio, quae intimam totius grammaticae et exercitorum naturam et cursum pervadere studet, ea est quae ubique in quaque libri pagella rationem et causas legum grammaticae exquirat easque adolescentibus explicat. Curiosus alumni animus primo intenditur in res Romanas et Gallo-romanas, quae in tabulis pictis exprimuntur et ex ipsis selecta exercitia de vita domestica et publica, de religione, ceterisque institutis referuntur et enarrantur; deinde annotationes saepe apponuntur de rebus nostrae aetatis quae multum sane a veteribus Romanis pendent quique nostri cultus humanitatisque parentes fuerunt ac magistri, eorumque memoria debet continuo esse et exemplum et virtutum illius nobilissimi populi Romani incitamentum.

J. M. TRISTANIUS, C. M. F.

*Cicéron, discours pour Marcellus, pour Ligarius, pour le Roi Déjotarus* Texte établi et traduit par MARCEL LOB. «Les Belles Lettres», 95, Boulevard Raspail, Paris.

Hae orationes quadam conjunguntur conexione ex ipsa rerum chronologia in genere oratorio M. T. Ciceronis; habitae sunt omnes ante ipsum Caesarem; atque omnes compositae pro hominibus adversariis Dictatoris Romani: eae orationes pro Marcello, pro Ligario, pro rege Dejotaro a pristinis grammaticis fuerant jam collectae uno in volumine hoc communi nomine: «Orationes Caesarianae».

Itaque eae orationes Ciceronianae denuo in hoc opere colliguntur, in Collectione Universitatum Galliae, a praeclearo viro Marcello Lob; atque in linguam Gallicam scite convertuntur. In erudita libri introductione non nulla, quae tribus in genere conveniunt orationibus, disputat scriptor: de persona Caesaris ac Pompei, de Bello Civili, de magno Caesaris animo, de consuetudine ipsius Ciceronis cum Caesare atque de textuum natura et tempore Orationum «ad Caesarem».

Consequitur deinde textus uniuscujusque orationis, speciali cum adnotatione, cum historica tum rhetorica; atque translatio Gallica, quae quidem lectoribus magno inserviet opere, qui penitentiam Latini textus interpretationem aucupentur. Hoc certe volumen omnino cum ceteris hujus nobilis *Collectionis* convenit. cura tutelaque *Consociationis Guillaume Budé*, adeo bene merita de Latina lingua, editis.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

RESTREPO, S. J. — *Diseño de Semántica general*. El alma de las palabras. 3.<sup>a</sup> ed. México, D F Editorial Constanza, 1952. pág. 242.

Haec tertia editio operis Patris Restrepo «*Diseño de Semántica general*» nihil aut non multum ab illa prima anni 1917 differt, tum quia P. Restrepo opus fere omni ex parte perfectum in suo genere est, tum quia nullum aliud melius, saltem Hispanico sermone adhuc editum est.

Semantica sane una e praecipuis linguarum partibus est qua celerius et citius litterae populorum procedunt atque adolescunt, sed de ea parum apud nos scriptum est.

P. Restrepo optime de Hispanicis litteris meritus est, nam opus nobis praebet magni pretii in quo multa eaque praecipua de «Semantica» erudite ac fuse pertractantur.

Eminent in libro P. Restrepo perspi-

cuitas, sanitas atque amoenitas simul et varietas et copia exemplorum quibus magna delectatione totus liber legitur.

Auctor in tres partes opus dividit: in prima agit de mutationis Semanticæ necessitate; in secunda de variis modis quibus haec mutatio perficitur; in tertia vero, quomodo ipse populorum atque hominum sensus Semanticam permutet, explicat.

Denique, P. Restrepo librum magnae utilitatis existimamus omnibus linguae Hispanicae studiosis.

JESUS ASPA, C. M. F.

MANUEL MARÍN PEÑA. — *Cicerón pro Murena*. Edición, introducción y notas. Consejo Superior de Investigaciones Científicas. Clásicos «Emerita», 1950.

Est oratio *Pro Murena*, ut plurimum, habita una ex mellioribus Ciceronis, quae quidem anno M. Tullii consulatus pronuntiata est. Atque finis hujus libelli praecipuus divulgatio notitiae hujus orationis apud nostrates, quae haud ita populari aura fruitur, ut orationes Catilinae vel defensiones *Pro Archia*, *Liario*, *Marcello*.

Latinitatis vero et historiae discipuli, qui per *Catilinarias* et *Sallustium* jam cognitionem habent finis agitati anni consularis Ciceronis, studio hujus orationis eandem ditare atque complere poterunt.

Facilis omnino partitio hujus modi sciti libelli *Introductio*, pp. 5-42. *M. Tullii Ciceronis Pro L. Murena oratio*, pp. 45-165. *Index rerum*, pp. 167-169. *Index nominum*, pp. 171-172.

In erudita *introductione* clarus scriptor omnes fere perstringit quaestiones de textu auctoribusque, qui de re disputarunt; textus vero adnotationibus copiosisisque selectis ornatur. Editiones praecipuae recensentur luculentaque bibliographia adhibetur. Itaque libellum maximo opere Latinitatis alumnis commendamus.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

T. MACCI PLAUTI RUDENS. — Recensuit  
A. I. Amatucci. Corpus Scriptorum  
Latinorum Paravianum.

Novam in hoc libello editionem criticam habes fabellae Plautinae, cui nomen *Rudens*. Sic autem affatur scriptor in Praefatione: «Cum quadragesimum quintum jam fere annum studiis Plautinis deditus essem, denique extremo tempore meae aetatis diuturni laboris summam in medium proferre statui et specimen quoddam Plauti editionis criticae, quae mihi utilior esse videtur, proponere ut doctorum hominum iudicium provocarem, quod quam trepide exspectem facile intellegi potest. Qua vero via qua ratione per aliquot annos multumque studium *Rudentem* ad praesentem statum adduxerim paucis verbis expediam».

Et re vera paucis se absolvit de fabulis Plautinis, quae ad nos pervenerunt; de Plautinis libris manu scriptis, de notis codicum, de orthographia adhibita. Libellus modo plane nitido sese offert invitatque lectorem ad legendum. Apparatus vero criticus accuratissimus, isque ad diem nostram rite dispositus.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

*M. Valerii Martialis «Epigrammaton»*, scelti et annotati de L. VALMAGGI riveduti ed accresciuti da N. VIANELLO. G. B. Paravia, Torino.

Ex mille et ducentis epigrammatis Martialis poetae, clarus professor Valmaggi accuratam fecerat collectionem, quae quidem apta erat ad conciliandos adulescentium animos, ut vel subrisus ab eorum labris emergeret laetabundus.

Hac vero in altera editione collectio a nobili viro Natale Vianello recognita est, cui non nulla quoque addita sunt epigrammata, quorum admodum 258 numerantur. Magno autem studio omnes adnotationes in alumnorum commodum revisit; aliquam mendam typographi-

cam expurgavit; quasdam explanationes innovavit vel adjumentis cognitionum recentium correxit. Hinc liber peropportunos discipulis Latinitatis evasit. In introductione non nulla disputat scriptor de epigrammate in genere, de poeta M. V. Martiale atque de eiusdem opere in Latinis litteris.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

P. RICHARD. — *Virgile autre gai*. Editions Magnard, 122, Bd Saint-Germain, Paris (6 e)

Et colloquia concinna Bucolicorum, et scaenae rurales Georgicorum, et digressiones epicae Aeneidos multotiens Vergilium laetum atque animo indulgentem poetam detegunt. P. quidem Richard, professor atque scriptor egregius, uno quasi intuitu lectoribus offerre intendit hujus modi generis comici varietates, in linguam Gallicam scite convertendo facillique vulgari sermone conecendo.

Elocutione certe eleganti agit in hoc libro de agricolis, de animantibus, de luctis gymnics, de deis superis atque atque inferis, de mythis et heroibus. Librum laetantes perlegent Latinitatis alumni atque jucundarum cultores litterarum. In hoc scholari libello commode mentem capient hilarem magni poetae Vergilli, facile Litterarum Latinarum principis.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

*Rendiconti VI* (1952). Istituto di Glottologia dell'Università di Bologna.

Instituto Glottologiae Universitatis Bononiensis quam maximas grates rependimus quod ad nos misit codicillum «Rendiconti IV» (1952) inscriptum, in quo de libris qui ad humanitatem spectant iudicium ponderose fertur atque censura.

M. MOLINA, C. M. F.